DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BRUCE,

EX INDIA ORIENTALI,

CHIRURGUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1812.

PATRUO SUO,

PATRICIO BRUCE,

LEGIONIS VIGESIMI QUINTI PEDESTRIUM,

NECNON

RATIONUM MILITARIUM

PRÆFECTO,

APUD MADRAS;

NON MINUS

MORUM ELEGANTIA,

QUAM VIRTUTE ET BENEVOLENTIA

EXORNATO;

OB CURAM OMNINO PATERNAM,

ET PERMULTA ALIA BENEFICIA,

IN SE COLLATA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI IN PERPETUUM GRATI,

PEREXIGUUM SED SINCERUM TESTIMONIUM,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

VIRO EXIMIO,

ELPHINGSTONO BALFOUR,

ARMIGERO,

MORUM ET URBANITATE,

ET

OMNIBUS ANIMI DOTIBUS QUÆ VITAM DECORANT,

CONSPICUO;

HANC DISSERTATIONEM,

OBSERVANTIÆ SUMMÆ ATQUE AMICITIÆ

TENTAMEN,

DEDICAT

AUCTOR.

ITEMQUE,

JOHANNI WELSH, CHIRURGO,

HADINÆ,

ARTIS MEDENDI TAM SCIENTIÆ

HAUD MINUS PERITO

QUAM VIRTUTIBUS QUÆ HOMINEM ORNANT

INSIGNI;

QUI PRIMUS SCIENTIA MEDICA SUAM MENTEM

INSTITUIT;

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMO BENEFICIORUM MEMORI,

DEVOVET

AUCTOR.

NECNON,

THOMÆ HOWDEN, CHIRURGO,

HADINÆ,

PROPTER EJUS

COMITATEM SIBI PRÆBITAM;

HANC DISPUTATIONEM,

AMORIS ET OBSERVANTIÆ

MONUMENTUM, QUAMVIS FRAGILE,

OFFERT

AUCTOR.

"In hoc morbo, sicut in aliis omnibus, quorum "certa remedia nondum inventa sunt, æger contentus esse debet iis præceptis, quæ docent, qualis "vitæ victûsque ratio fugienda sit, qualisque eligenda, ut totius corporis valetudini quàm optimè consulatur."

HEBERDEN *Comment.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

Gulielmo Bruce Auctore.

PROŒMIUM.

Ex omnibus qui afficiunt humanum genus morbis, nullus frequentior est, vel omnino studio medici maximo, *Phthisi Pulmonali* dignior; neque ullus fortasse attentionem et prudentiam ipsius ægri requirit majorem, in conducendo eum ad finem felicem.

Morbus de quo in tractu sequenti verba facienda sunt, per regionem hancce tam late

 grassatur,

grassatur, strageque tam dirâ devastat, ut attentionem medicorum summam sibi jure vindicet. Duo trientes, SYDENHAMO medico peritissimo testante, eorum, quos morbi chronici jugulant, per phthisin pulmonalem pereunt. Tabulæ mortuorum etiam Londinenses multa millia singulis annis, ob causam eandem mortem oppetere, nos certiores faciunt.

Adolescentes sexûs utriûsque hæc tabes plerumque depascitur; quantum igitur dolendum venit, pro peste crudeli, quæ misericordiæ prorsùs expers, natos parentibus, uxores maritis, amicos amicis, sine ullo discrimine rapit, remedium verùm nullum medicinæ scientiam adhuc patefecisse!

DEFINITIO MORBI.

PHTHISIS Pulmonalis claro CULLENO verbis sequentibus definitur: "Corporis ema-"

"ciatio

"ciatio et debilitas, cum tussi, febre hecticâ, "plerumque cum expectoratione purulentâ." In duas species phthisin iterum dividit; nempe, in *phthisin incipientem*, "sine expectora-"tione puris;" *phthisin*que *confirmatam*, "cum expectoratione purulentâ." Sed hæ duæ species stadia diversa morbi ejusdem solummodò habendæ sunt.

HISTORIA MORBI.

Inter symptomata prima phthiseos, tussicula arida est; nonnunquam verò mucus spumans rejicitur; respiratio plùsve minùs impedita, sensusque stricturæ, ponderisve in aliquâ parte thoracis percipitur, præcipue post motum etiam lenissimum; spiritus crebriùs, difficiliùsque trahitur; pulsus arteriarum, initio fere naturales, citò frequentiores evadunt; calor naturalis augetur; perspiratio insensibilis in sudorem levem convertitur, ap-

petitus

petitus cibi imminuitur, vomitus post pastum ægrum vexat; sed his citiùs vel seriùs dolores pectoris, modò fixi, modò erratici, aliquando lancinantes, sæpe leves, superveniunt; in unum alterumve latus decubitus etiam haud rarò difficilis, maciesque sensim corpus devastat; ægri irritabiles, languidi inertesque fiunt. In hoc statu nonnulli ægri vel menses complures, vel etiam annos permanent; questusque illi nullos faciunt, nisi si quod faciliùs quàm solito, atmosphæræ mutationibus subitis afficiuntur, quæ catarrhum levem frequentiùs inducunt.

Itaque postquam hi impetus catarrhales ter quaterve repetiti fuerint, tussis ante levis violentior rediit; expectoratio muci sæpe sanguine mista, copiosior, viscidior, magisque opacus evadit; postea colorem viridem formamque purulentam induit, et somnus misero negatur. Macer debilisque fit; functiones corporis imminuuntur; eodemque tempore appetitus cibi haud impedire videtur, avide etiam sumpti, in nutrimentum corporis nequaquam

quaquam præbent; sitis potu crebriori compescitur; respiratio fit difficilior; doloreque in aliqua pectoris parte, qui tussi et conatibus, ad liberius spiritum trahendum multùm augetur, pulsus multò frequentior evadit. In hoc morbi stadio, catamenia in fœminis profluere cessant.

Morbo progrediente, demum exacerbationes incipiunt, qui manifestè indicant, febrem (*hecticam* dictam) formatam esse. Dr Cullen modo sequente hanc febrem definit: "Febris quotidie revertens accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rariùs apyrexiâ matutinâ, plerumque sudoribus nocturnis, et urinâ sedimentum furfuraceo-lateritium deponente." Post hanc febrem est formatam, æger macrescit, propter sudores nocturnos circa caput, et brachia, et pectus erumpentes; pulsus debilis citusque evadit; pedes œdemate, manusque intumescentiâ laborant; functiones naturales turbantur, cum maculis rubris circumscriptis in genas; dum hecticæ exacerbationes adsunt; urinâ subsidentiam

dentiam furfuraceo-rubram deponente; lingua et fauces inflammatione multâ affici videntur, ita ut deglutitio impedita; tunica adnata oculorum colorem instar margaritarum induit, quòd vasa debilitata sanguinem in vasa externa non propellere possunt.

Plerumque, ineunte morbo, alvus adstricta est; sed nunc diarrhœa fœtida (*colliquativa* dicta) incipit, quæ usque ad extremum permanet, et sudoribus cum nocturnis alternans etiam miseri vitam minatur. Pili defluunt; ungues super extremitates, incurvati, lividique fiunt; spiritus fœtidus, celer, difficilisque; pulsus arteriarum non perceptus est; deliquia animi nonnunquam mortem anteiit; et demum mors pallida scænam claudit.

In hocce gradu morbi extremo, facies illum aspectum bene notum induit, quæ scriptoribus medicis *facies Hippocratica* nominatur. Usque ad morbi finem æger facultatibus omnibus parùm turbatis fruitur; ideoque, etiamsi in limine ipso mortis, in spem fausti eventûs

tûs vanam sæpius erigitur; in nonnullis attamen casibus, spes salutis omninò abjicitur. Versus finem extremitates frigescunt, deliriumque paucis diebus ante terminationem morbi, haud raro supervenit.

Symptomata suprà narrata non in ægris omnibus inveniuntur; sed phænomena diversa in ægrotis omnibus sese ostendere memoratu dignum est. Celeberrimus GREGORIUS, in ejus prælectionibus, de fœmina cui hecticæ exacerbationes summo mane semper adfuerunt mentionem facit: Alium exemplum narrat, ubi mania vehemens ex solita terminatione ægrum sustulit. Plerumque appetitus cibi, in hocce morbo parùm diminuta est; nonnunquam præter naturam augetur.

In his regionibus morbus de quo agitur, in ejus cursu absolvendo spatia varia temporis occupat, nonnunquam tantum in diebus paucis, aliquando post annos complures. Doctor HOME, apud suas prælectiones præclaras, se testatum esse hunc morbum cursum suum diebus

diebus viginti et uno explevisse, nos certiores fecit. Enimverò multùm ad curam qua ægri tractantur pendet ; multa nam exempla quæ in spatio temporis brevi finem infilicem fecissent, annos complures protrahuntur omninò ex attentione ægris data, putà inter opulentos quibus omne commodum est : exemplum hujus mirum a Doctore Gregorio narratur, ubi fœmina nobilis sustinebatur viva per quosdam annos, ex commoratione in navem, constanter hic et illuc navigantem.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Statum corporis anno decimo octavo ad trigesimum sextum, maximè huic morbo proclivius esse, experienta satis edocuit ; veruntamen morbus sæpe juniores adoritur, sed hoc labe hæreditariâ oriri videtur, qui stirpe scrofulosâ morbo maxime obnoxiores nati sunt. Diathesis

Diathesis scrofulosa notis sequentibus dignoscitur ; ex cute pura, capillis candidis, colore vultûs eximio, oculis magnis, cœruleisque venis, labio superiore crasso, voce debili, pupillis dilatatis. Sed dispositio natis est tradita a parentibus ; quæ proculdubio omnium causarum prædisponentium maximè periculosissima est. Corporis formâ gracili, thorace angusto, collo longo, humeris elevatis, his notis cognita est. Etiam fabrica pectoris prava, motum sanguinis impediendo per pulmonem, ad hunc morbum proclivitatem potissimùm præbet, et hoc interdum e rachitide prægressa originem trahere videtur. Sexus etiam muliebris, præ maribus, Phthisi Pulmonali prædispositus est.

CAUSÆ EXCITANTES.

Scriptores medici in quinque capita causas morbi excitantes enumerari solent ; Hæ-

moptysin scilicet, Catarrhum, Pneumoniam, Asthma, denique Tubercula.

De Hæmoptysi.—Quidam phthisin terminationem hæmoptysis certam esse, sibi persuasum habent; sed his in temporibus ubi morbus vi externâ, aut corporis exercitationibus violentibus oritur, in phthisi vix finire, nemo est qui negat. Sed iterum, nonnunquam hæmoptysin inducere tabem bene notum est, utrum morbus in tabe tantùm terminatur, ubi dispositio morbo existit, vel hæmorraghia sæpe rediens ulcera in pulmone inducat, et fundamentum phthiseos ponit: difficile dictu est, hæmorraghia, veruntamen, ab causa quacunque progrediatur, nulla re nos deterreri oportet, optimis remediis quo minùs utamur, curando actionem corporis morbosam.

Suppuratio pulmonum, pneumoniæ superveniens, causa secunda est excitans; me putare oportet hanc suppurationem in hoc morbo tantum desinire, cui dispositio hæreditaria est. Suppuratio hæcce pleuræ in aliqua parte, sed sæpissime in pleura pulmonali est formata; in

hoc

hoc statu rerùm quædam portio puris absorbeatur, sanguine circuitu admista, stimulum morbosum fluido huicce vitali sensim impertiat, vel etiam augeat; ideoque propulsionem sanguinis citatiorem gignat; hinc pulsus frequens, calor auctus, tussicula arida, stimulo, acris puris fibrillas vasorum pulmonalium irritante, aliaque symptomata febris istius lentæ quæ phthisin pulmonalem anteire solent.

De Catarrho.—Inter causas phthiseos excitantes, plerique auctores catarrhum recensent. Affectio hæcce diu perstans, in inflammationem substantiæ pulmonum parenchymatosæ interdum transit, ac in suppurationem, vomicam, exulcerationemque inde pedetentim demum desinere possit; hinc ratio patet, quare catarrhus aliquando, forsan non admodum raro, ad phthisin excitandum in corpore morbo proclivi imprimis valet. CULLENUS peritissimus, catarrhum causam hujusce morbi excitantem esse dubitavit. Quandoque morbus noster e catarrho originem ducere videtur, habitum phthisicum insignem in ægris

inesse

inesse insuper observandum est. Quin sub initio morbi symptomata quæ sese ostendunt, catarrhum sæpiùs ita referunt, ut inter has affectiones diagnosis haud facile semper ducenda sit; sed morbo progrediente, et puris expectoratio sese ostendens, diagnosis facilior infaustusque fit.

De Asthmate.—Asthma etiam inter causas phthiseos excitantes, vel fere vel semper enumeratur; species illa utpote, *asthma spasmodicum* dicta, quod, ni scriptores medici quidem falluntur, viam tubercula sternere facilè potest. Asthma veruntamen sine pulmonum ulceribus sæpissime diu perstat, tandemque asthmaticus terminatione morbi propria diem obiit supremum: Asthma verò tabem pulmonalem interdum gignere minimè inficias ibo.

De Tuberculis.—Tubercula causa phthiseos periculosissima, frequentissimaque habenda sunt. Tubercula duplicis generis, dura scilicet molliaque; illa corpora rotunda, alba, firma sunt, glandulis induratis similia, per

substantiam

substantiam pulmonum dispersa: Hæc, in pulmonibus sæpissime inveniuntur, tumores sunt molles, a substantia lævi, fusca, levique compositi. Tubercula hæcce ad inflammationem valde obnoxia sunt, et semper pus vitiatum emittunt, quod cum absorbeatur febri hecticæ originem dat, et pulmones in corpus corruptum ulceratumque convertitur. Plerique medicorum recentium ea tubercula a labe scrofulosa pendere ritè putant; verùm Doctor Reid, Londinensis, medicus, secus sentit, libroque ejus *Essay on Phthisis Pulmonalis* dicto, verbis sequentibus utitur: "That people "with a scrofulous habit of body, or with their "glands swelled or indurated, may have at the "same time a pulmonary consumption, does no "more prove the disease to be scrofulous, than "it be proved cancerous, should the patient "labour under that dreadful malady." In alia parte hujus tractatûs contendere pergit, "That as scrofula is a glandular complaint, "no lymphatic glands as yet have been dis"covered in the substance of the lungs; that "such glands do not exist; and therefore, that

"tubercles

"tubercles of the lungs have no connection "with scrofula." Sententiam hancce Doctor GREGORIUS, in libello ejus (de Morbis Cœli Mutationibus medendis) optimè redarguit. "Præter," ait, "magna certe similitudo et "analogia, inter tubercula et ulcera phthisica "in pulmonibus, et tumores abscessusque scro-"fulosos, in cæteris partibus corporis; ean-"dem speciem externam, et, si cultro incidun-"tur, internam habent eandemque spissita-"tem; et duritiem eodem modo, a parvo nitio, "ad molem sæpe magnam, paulatim crescunt; "et plerumque sine magno dolore aut mo-"leista, tardè et ægrè suppurant; sed ulcera "fœda et vix sanabilia relinquunt; denique, "in sectionibus eorum quos scrofula planè "occidit, tumores scrofulosi in omnibus cor-"poris partibus, et tubercula in pulmonibus, e-"jusdem speciei, haud raro reperiuntur." Hæc, acri judicio perpendens, Professor verbis sequentibus concludit: "Phthisin pulmonalem "a dispositione scrofulosa sæpe oriri, et ve-"rum morbum scrofulosum esse."

Supervacaneum

Supervacaneum est hæc verba ex aliis argumentis confirmare; nam e centum qui morbo moriuntur. saltem nonaginta scrofulosæ stirpis esse inveniuntur. Quædam acrimoniæ genera sunt, quæ phthisin excitant; nimirùm certum genus acrimoniæ, variolâ, rubeolâ, cæterisque exanthematibus genitum, virus syphiliticum, huic morbo originem dare dictum est; sed hoc minus certum est. Calculi etiam in pulmone formati, quoque phthisin movent; et quidam opifices, ut lapidarii, ferrarii, et qui metalla fundunt, frequentissimè hoc malo afficiuntur. Plerique auctorum medicorum phthisin non esse contagiosam consenserunt. Fortassè in regionibus calidioribus effectus ejus contagiosus meliùs appareat, ob incolarum earum mores; nam quivis ex hoc malo emoritur, ejus vestimenta ad flammas illico committuntur.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Tussis--modo sequente, ni fallor, inducta est: propter consensum insignem inter laryngem et pulmones ope nervorum qui existit, nam quidcunque pulmones irritare, etiam laryngem offendere facile potest; rebus ita se habentibus, siquando vasa aëriformia pulmonum aut muco, vel tuberculis, vel etiam pure irritentur, laryngem ea expellere oportet; ideoque, ob consensum qui per nervos hanc nectit, cum musculis, ope quorum spiritus trahitur, tussis movetur, quæ lædentia e pulmonibus expellit.

Respiratio difficilis.—Affectio hæcce e fistulis pulmonum, transitum aëri negantibus, originem ducit; partim ex alia causa oritur: Phthisicus cavitates thoracis in amplitudinem debitam sine dolore haud dilatare posset; ideoque et sanguis per

per pulmones non diffusus est, nec sanguinem arterialem ritè mutatur; hinc pallor insignis phthisicorum oritur.

Febris hectica.—De hac febre aliquid jam dictum est; maximè ex absorptione materiæ vitiatæ, quæ pulmonibus rejecta est, et ob totius corporis debilitatem, illam materiam non expellere potest.

Debilitas et macies,—ex sanguine ad corpus nutriendum non ritè parato, in pulmonibus ulceribus obsessis; scilicet, chylo in fluidum vitale non jure mutato, originem ducere videntur; et quoque pus absorptum, sanguinem et humores corrumpit, vasaque absorbentia in motum citatiorem moventur, quo modo adeps e tela cellulosa resorbetur.

*Sudores viscidi frigidi*que (*colliquativi* dicti.)—Origo a debilitate laxitateque arteriarum exhalantium ducenda est, propterea quod illa vasa hoc modo debilitata faciliùs dilatantur,

 ideoque

ideoque ex actionibus eorum solitis sudorem viscidum fundunt.

Diarrhœa colliquativa.—Causis iisdem ac sudor oritur; scilicet, debilitate intestinorum arteriarum exhalantium, qui humores eâ quantitate effundunt ut etiam ægri vita minatur. Diarrhœa et sudores phthisicos alternis vicibus urgent, prout febris hectica instet vel remittat.

Denique, sputum purulentum, nonnunquam sanguine mistum, manifeste vasis erosis superficiei pulmonum originem ducit.

DIAGNOSIS.

In stadio incipiente, sæpius diagnosin accuratam inter eam et *catarrhum* instituere difficillimum est; attamen in stadio firmato, ubi febris hectica, sudores profusi, et diarrhœa ægrum vexant, facillimè a catarrho, et omnibus aliis

aliis malis dignoscitur. Si medicus igitur de natura morbi anceps manet, cum summa cura animadvertere debet, quod malum ægro est, et etiam qualem materiam pulmonibus extussiat; his ritè perspectis, inter catarrhum et phthisin discernere potest; autem sæpissime dignoscere difficillimum est, utrum æger *mucum* vel *pus* extussit; sed in plerisque casibus morbi naturam discernere possumus, notis sequentibus utendis: In phthisi confirmata æger sputum viridem crassum expectorat, qui in a ua pura immersum fundum petit; sed catarrho laborans, mucum fluidum et ferè pellucidum, leviorem aquâ ideoque in ea natantem. Carolus Darwin, experimentis pluribus factis, nos docet testes idoneos, ope quorum inter mucum et pus accuratius discrimen facere possumus. Pus, pariter ac mucum, in acido sulphurico solutionem subire, pericula hæcce ritè nos docent; veruntamen in hac solutione aquâ affusâ, ambo eorum ab acido sulphurico separantur; sed pus aut imum petit, vel, vase agitato, liquorem turbidam reddit; mucus verò

rò aut liquori supernatat, vel in flocculos divisus (fluido celeriter moto) innatat.

PROGNOSIS.

Propter miram morbi stragem, eventum faustum rarissime sperare nobis licet. Phthisis dispositione hæreditariâ, vel thorace malo pravo pendens, semper vel plerumque finem infaustam prædicit. Phthisis, aut hæmoptysi, vel catarrho superveniens, in ægrotis etiam labe hæreditaria, qui parentibus phthisicis nati sunt, aliquando curanda est ; si pus mite facile expectorent, nec thorace angusto laborent, nec hectica gravis vires eorum prostraverit, interdum mortem evasere. Doctor Gregorius, prælectionibus suis, auditores certiores facere solet, seipsum tres fœminas nosse, quæ phthisi firmatâ laborassent ; quarum autem duæ, remediis propriis adhibitis, convaluissent. Ægras veruntamen huicce morbo procliviores esse, observandum est ; nam tabes

tabes pulmonum fratres, sororesque earum trucidaverat.

Autumnus ac ver phthisicis mortem maxime producunt; propterea quod frigus hiemale morbi violentiam semper auget, dum aër æstivus et siccus et temperatus ægris aliquid levaminis est.

SECTIO CADAVERUM.

Cum in interioribus partibus et dolores et morborum varia genera nascuntur, necessarium est ad remedia adhibenda his, medicos debere speciem internam cadaverum nosse; ergo incidere corpora mortuorum oportent, eorumque viscera atque intestina scrutari *. Cavitate thoracis incisâ, plerumque pulmones vel partim vel prorsus pleuræ costali, septo

* Vid. Celsus, Lib. i.

to transverso, pericardioque adhærent; incicisione per substantiam pulmonum etiam factâ, tuberculi, quod ad formam, tum quod ad situm haud parùm diversa, dura, subalbida, glandulis similia, conspiciantur; pars interna eorum nunc sicca, interdum inflammata, nonnunquam verò puriformâ materiâ plena, evadit. Tubercula hæcce interdum inter sese communicant, et vomicæ in hoc modo formantur, quæ in cellulas bronchiorum pus effundunt.

Medici inter se discordant de horum corporum formatione. Multi ea corpora glandulosa esse conjicerunt; veruntamen scalpellum anatomicis nondum in pulmonibus glandulas lymphaticas, ad hanc sententiam firmandam patefecit.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Medicinam parùm valere curando morbo dolendum est; veruntamen tres indicationes curativæ attentionem summam et medici et ægri sibi jure vindicant.

1*mo*, Sedulò cavendum est ne tubercula in pulmonibus gignantur.

2*do*, Summis viribus nitendum est, ne tubercula ingenerata inflammatione corripiantur.

3*tio*, Ulla graviora symptomata mitiganda sunt.

Primum consilium omnia evitare est, quæ in pulmonibus tubercula gignere possent. Ad hoc perficiendum, nihil omninò magis valet quàm cœli mutatio. Æger initio morbi ad regionem calidiorem migrare de-

bet.

bet. Igitur, ad Italiam, vel Hispaniam, aut insulam Madeiram, commodissimè transeat.

De effectibus a cœli mutatione in phthisi medendo, GREGORIUS noster verbis sequentibus loquitur: " Multi nostrorum quotannis " qui omnia signa habent tuberculi in pul- " monibus, instante hieme cœlos mitiores pe- " tunt, ibique manent per hiemem unam vel " alteram. Nonnulli a morbo prorsùs libe- " rantur, et in patriam sani et robusti rede- " unt, nec ulla postea phthiseos signa perci- " piunt; alii autem qui unam tantum hiemem " peregrè morati sunt, in patriam redeunt, " sese credentes sanos et incolumes; at pri- " mâ hieme, morbo pristino corripiuntur, et " brevi tempore pereunt."

" Fly if you can those violent extremes
" Of air; the wholesome is nor moist nor dry.
" But as the power of choosing is denied
" To half mankind, a further task ensues;
" How best to mitigate these fell extremes,
" How breathe unhurt the withering element,
" Or hazy atmosphere."

ARMSTRONG.

Non

Non semper consilium poëtæ (in lineis primis suprà narratum) perficere posset; ideoque idoneis rationibus ad tubercula præcavenda ægrum uti oportet. Signa phthiseos incipientis omnia debilitatem totius corporis facile inducunt: sed generalis corporis debilitas, ni medici falluntur, ad tubercula gignenda haud parùm valet; ideoque phthisi incipiente laborans, corpus suum firmare debet; at nec stimulis fortibus irritari, nec nimis impleri; de qua ratione, omnia quæ pulmonibus detrimento forent, sedulò vitanda sunt; et regimine proprio, et etiam remediis debitis, in auxilium pro re nata vocatis, vigorem pristinum sibi restituendum est; quoque cœli mutationes evitet, cavendum est.

Genera carnis omnia, quippe nimiùm stimulant, evitanda; neque cibus omninò e frugibus compositus est idoneus, corpus enim nimiùm debilitat. Medici de utilitate cibi e lacte et farenacea compositi, in phthisi incipiente, consentire solent. Lac animalium, aut gramine vel herbis viventium, quippe

quod ejus pars serosa acescendo, proclivitati ad putredinem obstet; pars autem oleasa et glutinosa nutrimentum præbet; quam ob rem multò aliis omnibus anteferendum est; sed de lactis vaccini utilitate, medici inter se multùm dissident. Pauci qui lac asininum præ omnibus aliis anteferunt, propterea quod, teste HIPPOCRATE,* *cùm minus nutriet et magis tamen calorem temperet*. Lac hujusmodi autem non semper comparari possit; igitur æger aut lacte vaccino vel caprino commodissimè utatur; si lac nimis nutriens invenitur, aquâ addendâ diluendum sit; vel portio oleosæ partis despumari potest; verùm enimverò si lac in ventriculo acescat, ructum acidumque moveat, et mala alia alimentis male concoctis originem ducentia, pauxillum sacchari, vel rosarum conservarum, ei admiscendum est.

Æger exercitatione debitâ, nec nimis lentâ, vel nimis laboriosâ, utatur oportet. SYDENHAMUS

* De Affect. Intern. sect. 9.

HAMUS summis laudibus exercitationem elatus, ad calcem paginæ ejus verba citare mihi liceat *: veruntamen equitationem plus nocere, quàm prodesse, nisi cautè adhibitam, dicere me oportet.

Doctor C. SMITH, phthisicis sedis pensilis usum commendat: si ulla fides periculis hujus medici habenda sit, corpore hoc modo agitato per spatium bis decem minutorum, et tussis compescitur et pulsus arteriarum plerumque minuuntur; verùm enimverò agitationem hancce ex experimentis medicorum aliorum,

---

* "But the principal cure of this disease is riding on "horseback every day, insomuch, that whoever has re-"course to this exercise, in order to his cure, need not "be tied to observe any rules, in point of diet; nor be de-"barred any kind of solid food or liquid aliment, as the "cure depends wholly on exercise; some persons that "have been recovered by this method, have been seized "with a tumour in the neck, not unlike those in the king's "evil."—Vid. SYDENHAM, p. 665.

aliorum, omninò parùm valere, multùm dolendum est *: Æger vestimentis idoneis a frigore hiemali, et cœli mutationibus subitis, se defendere debet; ideoque convenit indusium laneum vel xylinum cuti proximum habeat; enim ob climatis vicissitudines hujus

* "We are sorry to say," (inquit Dr DUNCAN *senior*, in opere *Medical Commentaries* dicto, anno 1788,) "that "from our own experience, we cannot say much in favour "of swinging. Since the publication of Dr SMITH's work, we "have had recourse to it in a considerable number of cases; "in some few, where there were symptoms giving a pre-"sumption to Phthisis, benefit seemed to arise from it; "in others, though employed at a period when the symp-"toms were very slight, it had no influence either in "checking the progress of this insidious disease, or in "checking its fatal conclusion. And, indeed, we have not "met with any one case, in which any material benefit "arose from its employment. With some patients the "sickness it occasioned was so distressing, that they could "not be prevailed upon to give it a proper trial; while, "with others, it produced no obvious effect whatever, and "particularly no change in the state of the pulse."

jus regionis, opus difficile est, vestimentis etiam laneis, perspirationem cutis insensibilem ritè sustentare.

Medicus summis viribus oportet, tuberculis in pulmonibus formatis, ne inflammationem subeant. Inter remedia efficacissima causâ inflammationem præcavendi, detractio sanguinis generalis est; quam ob rem sanguis pro violentia morbi et vi ægri emitti debet. Auctoritate MORTONI monemur, ut sanguis e brachio ab unciis sex ad octo vel decem subinde detrahatur; effectum eundem epispastica pectori imposita, præstant, ideoque vel epispasticis sæpe renovatis vel perpetuis pectore impositis, eodem tempore ut sanguinis emissione, æger utatur. Alvus plerumque in morbo huicce adstricta est; sed laxantibus rite adhibitis soluta tenenda est; scilicet catharticis lenioribus; nam fluxus ventris, aut nimis vehemens, vel sæpiùs inductus, pulmonum inflammationem rariùs discutiat; at vires ægri multùm frangat; fluxusque ipse

sæpe.

sæpe difficillime sistatur; itaque alvus non acriter purganda esset.

Doctor SIMMONS et quidam alii, callidissimè arrident emeticis eâ quantitate sumendis, ut nauseam tantùm excitant; quippe quæ sanguinem ad superficiem externam facile eliciant, ad inflammationem pulmonum discutiendam, plusve minus forsan conferre possint; enimvero usum vomitoriæ plenæ in hoc morbo non hortaremur. Dr SIMMONS emetica tantum remedium idoneum esse, ad tubercula discutienda contendit.

Tussis remediis propriis mitiganda est; scilicet vesicatoriis pectori applicatis; potulentis quæ et fauces illinunt, et acria obtundunt, usuque opii temporato; quam ob rem trochischo glycyrrhizæ cum opio commodissimè utendum sit. Acida omnia *mineralia* vocata, quæ corpus refrigerant, etiam adhibenda; sed acida e plantis expressa anteferenda sunt.

Digitalis

Digitalis purpurea laudibus summis, in medendo morbo de quo agitur, Doctore Beddoes et aliis compluribus, commendata est; at verò inter omnia medicamenta quæ impetum cordis et arteriarum sedant, nonnulli justè digitalem purpuream præ omnibus aliis anteponere existimant; certe hæcce planta non primæ famæ respondit; sed in hæmoptysin, et in nostrum malum, magis valere videtur, quàm in aliis morbis. Inter medicos de modo quo hoc remedium operatur non convenit; alii digitalem secretione minuendâ, et actione absorbentium augendo, prodesse contendunt; alii hoc medicamentum cordis et arteriarum motu tardando benefacere; alii vires sedantes insignes in digitale inesse, et viribus prædita cujusmodi, irritabilitatem muscularis fibræ morbosam compescit, atque irritabilitatem hanc corrigendo, effectus salutares in tabem pulmonum edit.

Doctor Beddoes medicamentum hocce etiam ad cœlum, malo in nostro curando, tollit,

lit *. Inter symptomata graviora quæ hujus remedii usum sæpius comitantar vel sequuntur, vertigo, ægritudo, nauseaque sunt; sed hæc mala, dosi digitalis omni, pauxillum succi citricum seu limonum addendo, præcavenda sunt; et magis multò hoc modo digitalis, sine malis, jam recensitis, inducentibus, adhiberi potest. Doctor DRAKE † nos certiores facit, guttis tincturæ opii quatuordecim addendis, singulis tincturæ digitalis dosibus, vomitus interdum præcaveri potest; veruntamen iisdem rationibus languorem, vertiginem, nauseam, et cephalalgiam, rariùs posse removeri. Doctor FOWLER decocto digitalis foliorum arridet; medico hocce suadente ægri semunciam decocti bis, terve, indies, sumant; sed præparatio digitalis optima, tinctura præ aliis omnibus præparationibus, proculdubio præferenda

* Vid. *Med. and Phys. Journ.* vol. iii. p. 120.

† Ibid. vol. ii. p. 418.

renda est; formula tincturæ hujus Doctore MACLEAN data, sanè optima est, et eadem quæ in Pharmacopœia nostra utimur.

Tinctura ægris dosibus in parvis adhibenda est: Ægri hujus tincturæ saturatæ initio, guttas decem vel quindecim capiant; et dosis guttis duabus secundo die augeatur addendis; donec corpus manifeste movetur, systemate affecto, quod nauseam excitando, vertiginem, anxietatem, et mala alia etiam lenia, cognitum est; tum medicum gradum sistere oportet; posteaque vel diminuere vel augere pro re nata debet.

Quidam nuper summâ laude lichenem Islandicum laudent; verò hæc vegetabilis vix gummi mimosæ Niloticæ præstat; continet multum mucilaginis, et paululum *acidi gallici.*

Aër mephiticus, a BEDDOES et aliis laudatus, usus satis edocuit nihil pollere; veruntamen interdum fluida hæcce elastica, reme-

diis potentioribus conjuncta, prodesse, nemo est qui negat.

De syrupo vegetabili, balneo terreno, consortio cum vaccis et bobis in stabulo, et remediis aliis empiricis, prætereundum est.

Denique, symptomata urgentia nunc mitiganda veniunt, ut transitus e vita facilis reddatur. Tussis perpetua quæ ægrum vexat sublevanda est; quam ob rem opium liberè adhibendum est, sub forma pilularum vel trochiscorum; pilula eorum una, grani unius opii plusve composita, nocte deglutenda est; dum trochischi sub die capiendi. Multi usum opii damnant; quia, expectoratione reprimendâ, nocet; sed hoc malum leve prætereundum est, ob solatium ægro præbitum usu remedii hujus.

Diarrhœa colliquativa, opio et aliis astringentibus, sedanda est. Ad hoc perficiendum, opium, tussim temperare datum, interdum inservit.

servit. Rhabarbarum, et alia purgantia remedia, valde noxiosa sunt.

Sudores colliquativi fugibus subacidis, vel acidis *mineralibis* vocatis, moderandi sunt. Calor lecti, a multis stragulis pendens, ritè vitandus est.

F I N I S.